



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

B. Magistro Scholarvm & Valberto Canonico Tarvisinis.


urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

cessit apostolico, volumus nihilominus & mandamus ut vos fratres Archiepiscopi & Episcopi, cum à dicto fratre Guidone fueritis requisiti, in hæreticos, quos ipse vobis nominaverit, spiritua- lem gladium exeratis; laici verò bona eorum confiscent, & eos ejiciant de terra sua, & eorum paleas separent à frumento. Omnibus autem qui pro conservatione fidei Christianæ in tanto discrimine quod Ecclesiæ imminet, ipsi astiterint fideliter & devotè, illam peccatorum suorum concedimus indulgentiam, quam beati Petri vel Jacobi limina visitantibus indulgemus. Datum Romæ &c. ut suprâ, 111. Idus Maij.

ABBATI SANCTI VEDASTI.

Epist. 166.
Approbat ejus
voluntatem,
quod ex colle-
gio seculari fa-
ctum olim ce-
nobium, ad col-
legium revoca-
re laboret.

Plax postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; ne refrigescat caritas postulantis ex longioris moræ fastidio, vel ex brevi etiam dilatione tepescat. Significasti siquidem nobis quod cum Ecclesia sancti Petri de Castro sita juxta monasterium tuum libera sit, & sicut ipsum monasterium ab episcopali jurisdictione penitus sit exempta, & in ea olim esse consueverint Canonici seculares, prædecessores tui, ut possessiones ipsius in suos usus converterent, ut in ipsa facerent per monachos ministrari indulgentiam à sede apostolica impetrarunt. Verùm quoniam in ea minus solemniter Domino deservitur, ad ampliandum ibidem cultum divini nominis Canonicos seculares, prout ibi quondam fuerant, in ea ordinare desideras, & eis certos redditus assignare. Ea propter, dilecte in Domino fili, intentionem tuam laudabilem attendentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut de consilio fratrum tuorum, vel majoris & sanioris partis, in ea Canonicos seculares instituas, & tam de bonis monasterij tui, quàm de his quæ ibi à fidelibus offerentur, redditus eis competentes assignes: ita tamen ut in nullo libertas illa depereat, quam ei prædecessores nostri Romani Pontifices contulerent. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. Idibus Maij, Pontificatus nostri anno primo.



B. MAGISTRO SCHOLARVM
& Valberto Canonico Tarvisinis.

Super eo de quo nos vestra discretio requisivit, videlicet quid faciendum sit de his qui captioni bonæ memoriæ V. Bellunen. Episcopi, ex qua dignoscitur à quibusdam aliis crudelissimè interemptus, se diabolico instinctu interfuisse fatentur, si ad Ecclesiam redire voluerint, in qua sint forma recipiendi ab ea, vobis taliter respondemus, quod cum tam enormè flagitium debita velimus severitate punire, ne facilitas veniæ incitativum præbeat delinquendi, si communioni fidelium reconciliari desiderant, ad sedem apostolicam veniant absolventi, nisi fortè articulus mortis imminet, vel hostilitas impediatur capitalis; quibus in utroque casu, recepta secundum formam Ecclesiæ sufficientissima cautione quod nostris debeant obedire mandatis, absolutionis beneficium nostra auctoritate potestis impendere: ita tamen quod opportunitate recepta, suscepturi mandatum, ad sedem apostolicam accedere non postponant. Provideatis autem attentius ne quid contra præscriptam formam quomodolibet attentetis. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

Epist. 167.
Episcopi trucidatores à solo Papa absolventi, excepto articulo mortis.

* attentetur.

ARCHIEPISCOPO
& Capitulo Turonen.

Licet in Ezechiele legatur *Animalia ibant, & non revertabantur*, tamen sequitur in eodem, *Animalia ibant, & revertabantur*. Quamvis autem hæc vocum dissonantia secundum sanum consonet intellectum, & varias expositiones habeat mysticas & morales, posunt tamen per animalia munda, quæ ruminant & unguam findunt, rectores Ecclesiæ non incongruè designari: qui discernendo fingunt unguam, & ruminant meditando: qui dum aliqua statuunt quæ postmodum non retractant, eunt, & non revertuntur; cum verò aliquid statuunt quod postmodum revocant consilio saniori, eunt, & (sicut de animalibus legitur) revertuntur. Utinam autem prædecessores nostri Romani Pontifices in diffinitione illius veteris, & nondum inverteratæ, sed præveritate notissimæ quæstionis, quæ inter Turonen. & Dolen. Ecclesias fuit diutius agitata, & adhuc sub judice lis est,

Epist. 168.
Citantur ad audiendum sententiam proferre in causa ipsorum contra Ecclesiam Dolensem.
Vide lib. 2. epist. 82. & seqq.